C napi, extenuat: item ſtomachi & uentris uitia. Modicè tamen utendum eſt, quoniã excalfacit, quamuis ſiſtat aluum: quæ ſi exulcerata ſit, denarij pondus in ſextarium aceti & mellis addi oportet. Item ſi lateralis dolor ſit, aut inter ſcapulas, aut in thorace. Præcordijs medentur ex aceto cum melle: quæ potio datur & in alienatione mentis & melancholicis. Datur & comitialibus, quos correptos olfactus excitat Thymi. Aiunt & dormire eos oportere in molli Thymo. Prodeſt & orthopnoicis & anhelationi, mulierumq; menſibus retardatis. Vel, ſi emortui ſint in utero partus, decoctum in aqua ad tertias. Viris uerò contra inflationes, cum melle & aceto. Et ſi uenter turgeat, teſtésue aut ueſicæ dolor exigat. E uino tumores & impetus tollit impoſitũ. Item cum aceto, callum & uerrucas. Coxendicibus imponitur cum uino. Articularibus morbis trium obolorũ pondere in tribus cyathis aceti & mellis. Et in faſtidio, tritum cum ſale.

DE TEVCRIO. CAP. CCCXX.

NOMINA.

Teucrium unde dictum.

TEVKPION, ἢ χαμαίδρυς Græcis, Teucrion Latinis appellatur. Officinis ignotum. Germanis groß Bathengel dicitur. Teucrium autem uocatum eſt Græcis pariter & Latinis, quod Teucer Aiacis frater hoc inuenerit. Inuentum uerò ab eo ſic tradit Plinius. Quum exta in ſacrificio ſuper id proiecta fuiſſent, lieni adhæſit, eumq; exinaniuit. Proinde quod caſus oſtenderat, obſeruatumq; à Teucro fuit, ad æternũ humani beneficij decus & famam illi accreuit. Diuerſum tamen hoc Teucriũ ab Hemionitide, quod à Plinio etiam Teucrium appellari diximus. Chamædrys autem nominata eſt hæc herba, quod Chamædry ſimillima ſit, adeò ut uiciſsim etiam Chamædrys hoc nomine, ut ſuo dicemus loco, dicta ſit Teucrium. Maius tamen eſt Teucrium quàm ſit Chamædrys, ut meritò Germanis groß Bathengel nuncupari queat.

Teucrium hoc diuerſum ab Hemionitide, quod multi non obſeruant.

D

FORMA.

Herba eſt uirgæ referens effigiem, Chamædry ſimilis, tenui folio, non multum Ciceri diſsimile. Hæc quanquã breuiſsima ſit Teucrij deliniatio, tamẽ abundè monſtrat herbam hanc, cuius picturã exhibemus, eſſe uerum Teucriũ, cum nihil Chamædry magis ſimile dici queat, ſi diligenter utriuſq; plantæ notas expendas.

LOCVS.

Nuſquam, quod ſciam, ſponte ſua in Germania prouenit. Satum tamen copioſe naſcitur. In Cilicia plurimum habetur.

TEMPVS.

Floret Iunio & Iulio menſibus, ac ſubinde ſemen producit.

TEMPERAMENTVM.

In ſecundo excalfacientium, tertio autem exiccantium exiſtit ordine.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Viride cum poſca potum, aut aridum decoctum ac hauſtum, lienem potenter minuit. Lienoſis cum ficis & aceto illinitur. Venenatorum autem morſibus cum aceto ſine ficis.

EX GALENO.

Teucrium incidendi, & tenuium partium facultatis eſt, quare lienes ſanat.

EX PLINIO.

Recens Teucria in poſca, uel ſicca deferuefacta, potu lienem efficaciter cõſumit. Item ex aqua illinitur. Pota arida & decocta quantum manus capiat, in aceti heminis tribus lieni medetur. Ad uulnus illinitur eadem cum aceto, aut ſi tolerari non poſsit, ex fico uel aqua. Serpentium plagis imponitur cum aceto tantum.

DE HYPE-

TEVCRIVM
Groß bathengel.